

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2798

Auteur(s) : Robert de Torigni, Le Mont-Saint-Michel, Le Mont Saint-Michel (abbé)

Bénéficiaire(s) : Guillaume de Saint-Jean [particulier]

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1172

Lieu d'émission : Le Mont-Saint-Michel

Action juridique : autre

Description de l'original : Chirographe (CIROGRAPHUM)

Langue du texte : latin

Chirographe (CIROGRAPHUM)

Analyse

Concession de la foresterie de Bévais, faite par l'abbé Robert à Guillaume de Saint-Jean.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Chronique de Robert de Torigni, abbé du Mont-Saint-Michel : suivie de divers opuscules historiques de cet auteur et de plusieurs religieux de la même abbaye*, le tout publié d'après les manuscrits originaux, Rouen, Le Brument, 1872-1873, 2 vol., t. 2, « Lettres, chartes et pièces diverses de l'administration de Robert de Torigni », n° XXXIV, p. 303-305.

Texte établi d'après a

CIROGRAPHUM. — Noverint tam presentes quam futuri quod ego Robertus abbas et conventus Sancti Michaelis de periculo maris concessimus Willelmo de Sancto Johanne forestariam foreste nostre de Beveia jure hereditario habendam et possidendam, quam antecessores ejus habuerant, ita quidem quod nec Willelmus nec heredum ejus aliquis clamabit aliquid in foresta, vel in terris que adjacent foreste, vel in eis que forte de boscho in vastum devenerint, exceptis pasturagiis, non de foresta, sed de landa extra forestam. Placitorum vero que de foresta contingent, si de feudo sunt Sancti Michaelis, sive Willelmus de Sancto Johanne illud teneat, sive alius, medietatem nos, medietatem Willelmus percipiet, ita quidem quod ad capellam Sancti Michaelis de Lupis placita illa, presente responsali nostro sive monacho sive alio ad id nostro nomine deputato, discutientur. Placita vero que de terris extrinsecis que de feudo nostro non sunt emergerint, disponet Willelmus de Sancto Johanne prout ei melius visum fuerit. Nos quidem de foresta et dabimus et accipiemus et si libuerit vendemus tanquam de nostro, quantum et sicut voluerimus. Willelmus autem de Sancto Johanne nichil horum faciet, excepto eo quod ad ignem ejus dominicum de Sancto Johanne et ad dominicum ejus edificium de Sancto Johanne oportuerit, sine aliis operationibus. Pastio vero porcorum nostra erit ex integro, excepto quod Willelmus de Sancto Johanne centum porcos in foresta habebit. Quod si Willelmus de Sancto Johanne de aliquo supradictorum forifecerit, judicio curie Sancti Michaelis emendabit. Preterea concessimus ei custodiam guarenne que extenditur per totam parrochiam Sancti Michaelis de Lupis, tam in boscho quam in plano, tali conditione quod ex parte nostra tantum tres, scilicet abbas aut prior aut baillivus capitalis, et ex parte Willelmi tantum tres, scilicet dominus de Sancto Johanne aut ejus filius aut frater, ibunt venatum cum voluerint. Si autem placita ad guarennam pertinencia emergerint, sive sint de hominibus extrinsecis,

vel intrinsecis, consilio nostro et ipsius emenda capietur, et media pars erit nostra, media vero ipsius. Coria vero cervorum et cervarum et damarum utriusque sexus que ibi capientur ex integro nostra erunt. Actum est hoc publice in capitulo Montis, anno ab incarnatione Domini M° C° LXX° II. Testibus his, ex parte abbatis : Ang[erio] cantore, Ricardo de Haia, Guimundo suppriore, Willelmo filio Tiez, monachis, Rogerio de Meisnil, Jordano ejus filio, Matheo chamberlencho, laicis ; ex parte autem Willelmi de Sancto Johanne : Gilleberto de Campeaus, Thoma de Sancto Pancraccio, Roberto de Bacilleio, et multis aliis.